



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755

Affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)

ut quæ hodie appetivimus maximè ,
 cras ab eodem quàm maximè abhor-
 reamus. Juvenes quod appetunt, id
 vehementer, non tamen diu desiderant.
 Mora proinde Lydius sit deliberationis.
 Mora tamen hæc iusta quidem , longa
 tamen esse non debet, sit rationis po-
 tiùs , quàm temporis. Nec illud mi-
 nùs necessarium, ut antequam propen-
 sioni, rationibusque tuis assensum præ-
 beas, easdem animæ tuæ arbitro, Vi-
 ro prudenti & pio proponas, ab eodem
 lumen, consilium petas. *Fili sine con-
 silio nihil facias, & post factum non pœni-
 tebit.* Eccl. 32. Qui tanta in re credit
 se consilio non egere, graviter se deci-
 pit,

Affectus.

DEUS in cujus manu sunt omnium
 hominum corda & voluntates ;
 quique has ed, quo tibi placet , infle-
 ctis. Dominus es, ad cuius nutum,
 & arbitrium omnes actiones nostræ di-
 rigi debent. Agnosco dominium tu-
 um, adoro potestatem, illique me ul-
 trò & libenter subijcio. Da mihi lu-
 men, ut sciam, quid placitum sit ante
 te. Ecce cor, & voluntatem meam !
 ecce

ecce intellectum ? tu qui DEUS & Dominus meus es , hunc illumina , illam move ; utrâque animæ meæ potentiam ita dirige , ut à sanctissimo nutu tuo nec unguem recedant , ne me in avia & devia seducant.

Deliberanti primùm cura fit de Anima.

Est Vir sapiens anima suæ sapiens. Eccles. 37.

1. **L**umen naturæ dictat , & sana ratio suadet , ut tantò unaquæque res pluris æstimetur , quantò ea pretiosior est ; ac major ejus præ reliquis cura habeatur , cujus jactura gravius possidenti damnum causare posset. Quid tibi ô homo ! est anima tua pretiosius ? si ejus pretium ignoras, Christum interroga, quanti eam fecerit ? pro qua non terram, non hominem, non mundum, sed plus his, nempe suum infiniti pretii sanguinem, & vitam dedit. Hoc proinde sanguinis Christi pretium curæ tuæ ita creditum est, ut à te repetendum certò scias ? Vide, mi Parthenophile ! quò princeps tua deliberantis cura dirigi debeat ? ut nempe animæ tuæ bene, imò optimè sit consultum,